

Q. D. B. V.
AMICITIA,

PHILOSOPHIA MORALI

descripta,

&

In Electorali ad Albim Academia,

Sub PRÆSIDIO

VIRI

AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI, CLARISSIMI QVE

DN. CHRISTIANI Röhrensees/
PHIL. PRACT. PROF. PUBL. celeberrimi,

Dn. Patroni ac Promotoris æternum

devenerandi,

Publico Eruditorum examini

subjecta

ab

AUTORE & RESPONDENTE

M. ANDREA TITIO,

Posonio - Hungaro,

In Auditorio Majori,

Die 29. Januarij, Anno c1s 1sc LXXVI.

Horis matutinis.

VVITTEBERGÆ,

Excudebat CHRISTIANUS SCHRÖDTERUS.

35



AMICITIA

PHILOSOPHIA MORALI

IN PRÆDIO

DE CHRISTIANA

PHILOSOPHIA MORALI

DE

VITAE





ΣΤΝ ΘΕΩ !

PROOEMIUM.



Vanta sit Amicitiae laus & dignitas, quanta necessitas, quanta utilitas, etsi splendido verborum ornatu hic describere nostri non sit instituti, pauca tamen praelibabimus. Ac quod Dignitatem attinet Amicitiae, eam insigniter nobis commendat Philosophorum Princeps; *Aut est virtus, inquit, l. 8. c. 1. Ethic. aut nunquam sine virtute: h. e. licet propriè & primariò gloriosum virtutis nomen non obtineat, cum magis affectus, quam habitus esse videatur: multum tamen cum virtute habet cognationis, ipsaq; comitis instar, utitur. Porro Amicitia res ad vitam maximè necessaria est, ita ut solem è mundo tollere videatur, qui Amicitiam è vita tollit, quàm nihil à Deo immortali melius habemus, exceptà sapientià, nihil jucundius. Itaq; non igni, non aere, non aquà pluribus in locis utimur, quàm Amicitia, teste Cicerone, in suo de Amicitia libello, quem Lalius inscripsit. Nam sine amicis vitam transigere nemo desiderat, etiam si omnium bonorum generibus affluat, ne in cœlo quidem, ut nostrates loquuntur. Est & Amicitia omni ætati & societati maximè utilis, approbante Cicerone: Nihil est aptius, ait, vitæ, nihil ad beatè vivendum accommodatius, quàm cum viris bonis, jucundis, amantibus nostri vivere. Egrege Casiodorus: Amicitia, inquit, divitibus pro gloria est, pauperibus*

peribus pro censu, exulibus pro patriâ, imbecillibus pro virtute, pro medicinâ agrotis, mortuis pro vitâ, sine quâ nullum est vita solatium. Amicitia est, quæ consors justitiæ, vinculum naturæ, præsidium civitatis, solatium senectutis, imò portus vitæ humanæ meritò dicitur. Si omnibus (verba sunt Ambrosii) bonis abundes, vitæ tamen solatium est, habere, cui pectus tuum aperias, cui arcana communices, cui secreta tui pectoris committas, ut colloces tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur. De hac ergo doctrinâ tam dignâ, necessariâ & utili (juvante Deo, qui omnis Amicitiaë autor est), hancce Dissertationem, quæ in meris consistet quæstionibus, elaboravimus.

Quæstio I.

An detur Amicitia?

Hæc prima Quæstio attingit Amicitiaë Existentiã, quæ spectari potest vel *absolutè*, seu quod reverà detur extra potentiam objectivam: vel *determinatè*, seu quomodo detur, quoad diversam existendi rationem. Existentiã ejus *absolutè* spectata sumitur à Testimonio vel Divino in SS. literis nobis revelato, ubi passim exempla allegantur eorum, qui Amicitiam invicem coluerunt sinceram, qualis fuit Isaaci & Abimelechis, Gen. XXVI, 28. Davidis & Jonathanis, 1. Sam. XVII, 59, &c. vel Humano, in consensu omnium gentium fundato, quia communis omnium gentium, maximè verò sapientum vox Amicitiaë jus concelebrat. Huc spectant exempla Amicorum celebratissimorum, quales è Patribus fuere Nazianzenus & Basilus, è Gentilibus Epaminondas & Pelopidas &c. quæ omnia satis Amicitiaë Existentiã comprobant. *Determinatè* datur Amicitia vel quoad subjectum, vel quoad statum. Quoad illud datur Amicitia (1) Originaliter & eminenter in Deo, tanquam in primo fonte omnis perfecti amoris & Amicitiaë
mora.

moraliter bonæ. (2) *fundamentaliter in Amicitia objecto*, nempe re amabili. (3) *essentialiter in amicis*, tanquam subjecto Amicitia proximo. Quoad hunc datur Amicitia vel *idealiter* h. e. in ideâ & conceptu à singularibus abstracto, secundum quem Amicitia spectatur non qualis semper est, sed qualis esse debet: vel *Individualiter* h. e. in certis quibusdam Individuis, ut in Davide & Jonathane, in Nazianzeno & Basilio &c.

Quæstio II.

Amicitia Onomatologia quibusnam absolvitur?

Onomatologia Amicitia tribus potissimum absolvitur, *Etymologia*, *Homonymia* & *Synonymia*. Quod *Etymologiam* Amicitia concernit, sunt, qui Amicum dictum putant, quasi *amœcum*, ab *am* & *cum*, h. e. qui juxta domum nostram habitat. Scaligero Amicus vocatur, quasi *amœgus*, quod simul æquitatem in Amicitia præ se ferat. Verum hæc potius videntur allusiones, quam genuinae derivationes. Nos potius illam ab *amando*, sive *amore*, propululare dicimus, quia Amicitia nihil aliud est, quam duorum pluriumve inter se amor: unde *Arist. l. 2. Rhet.* ait: *Amicus est, qui amat, & redamatur.* *Homonymia* determinat hujus vocis variam partim *significationem*, partim *distinctionem*. Quoad *significationem* sumitur vel *Biblicè*, vel *non Biblicè*. *Biblicè* notat vel *Conjunctionem spiritualem fidelium cum Deo & Christo*: & hoc modo Abraham Dei Amicus *Es. XLI, 8. Jac. II, 23. Lazarus, & Apostoli, Christi* appellantur *Amici Job. XI, 11. c. XV, 14. &c.* vel *Consociationem cujusvis proximi*; quo modo Christus Judam proditorẽ suum, vocat Amicum, vel potius socium *Matt. XXVI, 50.* & in communi etiam indigni & ignoti interdum amici dicuntur *Matt. XX, 13. c. XXII, 17.* *Non Biblicè* Amicitia vocabulum in triplici

sumitur ac invenitur sensu. (1) *Sensu Generali* de omni consensione rerum naturalium usurpatur, ita ut Sympathia Physica comprehendantur, v. g. Pluvia siccis plantis, ulmus viti amica dicitur. Quare *Erasmus* colloquium illud, quod de Sympathiis scripsit, Amicitiam nuncupavit. (2) *Speciali sensu* & tantum ad homines restricto complectitur mutuos nexus, ex societatibus Politicis, aut economicis ortos. (3) *Specialissimo & proprio* sub Amicitia voce intelligimus mutuam illam & manifestam benevolentiam. Et hæc est propria significatio Amicitia moralis, quæ spirituales Amicitiam non tollit, sicut honestas non tollit pietatem, aut pietas honestatem; cum possim alicui esse Amicus moraliter, cui non sum Amicus spiritualiter. Quoad distinctionem dici potest Amicitia alia *honestas*, alia *inhonestas*. Hæc est, quam mali fines & mala media conciliant. Illa, quam jungunt media licita & fines honesti. Porro alia *vera & sincera*, quæ hodiè rara avis: alia *apparens & fucata*, quæ hisce temporibus dolosis minimè infreqvens, sed frequentissima. Multi enim hodiè reperiuntur Amici, sed voce & gestu saltem, non opere & facto. Multi hodiè salutantur Amici, qui Judæ figunt oscula & salutes dicunt Alfonso. Certè ut nihil Amicitia, quæ secundas ferè res splendiores facit, adversas leviores, nobilius, si vera est: ita nocentius nihil, si sub honesto nomine hostem tegat, & inimicum intus alat, qui amicum foris profitetur. Diogenis ergò hic opus lucernâ, aut fenestrâ à Momo desideratâ, quâ oculis ad cor introspicendum via pateat, ait *D. Nic. Hunnius Exerc. Ethic. Diss. 12. Ad Synonymiam* deniq; Amicitia pergimus, quæ pro lingvarum varietate varia est. Latine Amicitia aliàs nominatur Familiaritas, Necessitudo familiaris, Benevolentia mutua. Quibusdam dicitur Charitas, Dilectio, Amatio, Amor &c. Græcis dicitur *Φιλία*

Φιλία, ἀπὸ τῆς Φιλεῖν, ἰτερά ἐρως. Germanis Freundschaft / quæ
Freundschaft / vel Freundes Gemeinschaft.

Quæstio III.

Quid propriè sit Amicitia ?

In hæc quæstione prius Definitiones aliorum minus rectè posita removenda & resolvenda sunt, deinde nostra Definitio aptior reliquis ponenda, ac explicanda. Minus verò aptè definit *Sagittarius Exerc. Ethic. Exot. 13. tb. 5.* Amicitiam per *Virtutem*. Licet etenim Amicitia virtutis aliquid sapiat, non tamen est ipsa Virtus, cum Virtus omnis γνησίως ita dicta, sit τῶν ἐφ' ἡμῖν. At verò Amicitia in nostrâ facultate non est sita, sed ab alterius erga nos amore dependet. Insuper Amicitia perire potest, nullâ virtute labefactatâ. Accedit, quod Amicitia sit usus, seu fructus Virtutis præstantissimus, quam præsupponit. Fructus autem rei, quâ talis, non est res ipsa. Taceo, quod virtus inter bona interna, Amicitia inter externa numeretur. Vid. *Keckerm. Curs. Philos. Diss. 27. quæst. 21. Franc. Piccolom. Philos. Moral. grad. 7. c. 9. § 10.* Ineptè etiam Amicitiam per *affectum* definit *Daneus, Ethic. Christian. 1. 3. c. 3.* Est enim affectus in se indifferens ad bonum & malum morale: at Amicitia vera ad bonum præcisè est determinata, si non primariò ut Virtus, tamen secundariò, ut Virtutum usus. Affectus homini connascitur: at Amicitia conciliatur conversatione honestâ. Affectus quoq; cadit in malos: at Amicitia honesta tantùm inter bonos existit. Nec commodè satis Amicitiam per *Unionem* definit *Keckerm. Syst. Ethic. 1. 3. cap. penult.* Aut enim intelligitur ea unio, quæ præcedit Amicitiam, aut quæ eam insequitur. Si illa, non est ipsa Amicitia, sed medium potiùs, quò animi conjunguntur, & amici redduntur. Si hæc, est effectum Amicitia, per quod animi magis magisq; combinantur, & vinculo quasi adamantino constringuntur. Et si vel maxime

ximè generalis ejus essentia in unione consisteret, non tamen unio propterea verum genus absolveret; nec Amicitia in relationis predicamento (uti *Keckerm. l. c. vult*) locanda esset; cum unio sit relatio transcendentalis, & transcendentalis genus non sit verum Genus. Proinde rectius Amicitia communiter cum Ethicis definitur, quod sit *Benevolentia vera, mutua, non latens, sed manifesta.* Generi convenit vocabulum *Benevolentia*, quæ & de ratione Amicitia est, & eadem *latius patet.* Per hanc enim alter alteri bene cupit, adeò ut nemo alterius amicus dici queat, nisi propensâ in eum sit voluntate. Latius autem patere Benevolentiam Amicitiam, inde probamus; Datur enim (1) Benevolentia occulta, quia possum alicui bene velle, licet id dissimulem propter certas causas, cum tamen in Amicitiam benevolentia non debeat occultari. (2) Otiosa & sterilis officiorum & benefactorum, quæ est citra Amicitia requisita & leges. Talis benevolentia hic non attenditur, sed ejusmodi, quam particulae differentia loco apposita declarant. Debet autem esse (a) *vera & sincera*, consensus oris, cordis & operis simul involvens; non *simulata ac dolosa*, quâ aliud lingua promittitur, aliud corde premitur. (3) *mutua*, h. e. qui sibi invicem volunt esse amici, in amore parili non tantum, sed etiam in æqualium officiorum & promptitudine & declaratione, vel certè, si facultas desit, voluntate convenire debent. Lubrica enim esset Amicitia absq; reciproco amore, quæ nullas radices agere, nec inveteratæ & mutuae nomen mereri posset, ut ait *Aristot. l. 9. c. 5.* Requiritur ergo amor tam *activus*, quam *passivus.* Ille est, quo alterum amamus: hic, quo ab altero amamur. In Amicitiam tamen melius est amare activè, quam amari passivè. Vis Amicitia in agendo potius, quam in patiendi sita est. Semper actio in bonis præstantior est passione, magisq; laudatur, qui bene amat, quam qui

qui benè amatur. Quod uberius explicat *Keckerm. in Curs. Philos. Diss. cit. qv. 25.* (γ) manifesta, non latens, quæ non tantum intus lateat, sed & foras prodeat, verbisq; ac factis & officiis mutuis declaretur. Ubi ergò non est benevolentia mutua, ibi non est vera Amicitia: ubi etiam non est benevolentia manifesta, ibi non est nota Amicitia.

Quæstio IV.

Quotuplex sit Amicitia?

A Definitione Amicitia proxima est *Divisio*, quæ à triplici objecto oritur *triplex*: ita ut, si Amicitia pro fundamento habeat *virtutem*, quæ est καλὸν π, sit *honesta*: si *voluptatem, jucunda*, si *utilitatem, utilis*. Prima species solum est perfectæ Amicitia, cæteræ referuntur ad imperfectam. Sic autem perfecta versatur circa honestum, ut etiam includat jucundum & utile. Non negandum enim est, quod tria constituent perfectam Amicitiam: ἡ ἀρετὴ ὡς καλὸν, ἡ συνήθεια ὡς ἡδὺ, καὶ ἡ χρεία ὡς χεῖσιμον, h. e. Virtus ut honestum, conversatio ut jucundum, & usus ut utile. Præ cæteris autem in perfectâ Amicitia eminentiam habet virtus ut honestum, quæ cadit tantummodo in eos, qui accuratiorem istius boni notitiam habent, & iudicio jam sunt confirmato. Boni enim viri est, aliquem virtutis causâ amare, & cum eo conspirare ad virtutem promptius expeditiusq; exercendam. Deinde palmam præripit reliquis: hæc enim est propria Amicitia, & per se, quæ nobis non prius adjudicatur, nisi amicum propter ipsam virtutem amemus: non verò propter aliud, aut propter nosmetipsos, quatenus nobis amicus jucundus vel utilis in hac vitâ esse potest. Qui modus imperfectæ Amicitia & ex accidenti est proprius. *Jucunda Amicitia* à jucunditate objecti, quod est *voluptas*, dicitur, ob cujus fruitionem hæc Amicitia species solet iniri. Et hæc præferenda utili, quia majorem habet affinitatem.

B

CUM

cum Amicitia perfecta ob duplicem rationem: (1) quod sit magis ingenua & liberaliter educatis ingenijs digna: utilis autem magis propria est hominibus improbitati & avaritiae studentibus, qui non nisi quaestum aucupantur, Amicitiam mercaturae instar exercentes. (2) quod hanc viri boni conversationis potius jucunditate, quam propria usurâ & quaestu allekti magis expetant, libentiusq; colant. Amicitia haec jucunda potissimum locum habet in juvenibus, (1) quia procliviores à naturâ sunt secundum affectus vitam ducere, actionesq; suas jucunditate metiri. (2) quia aptiores, propter morum affabilitatem & facilitatem, gratificandiq; cuivis promptitudinē. (3) quia juvenes conversatione cum animi & corporis delectamento creberrimè utuntur: ubi senes contra, qui queruli & quaestuosi, morosi & difficiles, ad hanc contrahendam videntur ineptiores. *Utilis deniq; Amicitia, (quibusdam etiam Canina & Ollaris dicta) ita appellatur, ob quam mutuò quidam se amant, ut alter alteri possit prodesse in acquirendâ pecuniâ, promotionibus ad dignitatem, honores, aliasq; commoditates. Convenit huic (a) Esse & inter praesentes, & illos, qui locis sunt disjuncti: itaq; non adeò necessariam esse conversationem, modò tò utile inter mutuò amantes observetur, liquidò constat. (b) In confesso est, hanc utilem Amicitiam maximè omnium expositam esse querelis, injurijs & suspicionibus, quas perfecta non facilè admittit. Quod docet & probat Aristot. l. 8. Ethic. c. 13. his verbis: Oriuntur autem ex postulationes & querela in Amicitia, quae ex utilitate est, vel sola, vel maximè, nec injuriâ. Qui enim ob virtutem amici sunt, ab beneficiendum sibi mutuò sunt prompti, id enim virtutis & Amicitiae est. Ad hoc verò contendentium ex postulationes non sunt, neq; pugna. Nam cum, qui amat, & benefacit, nemo fert indignè, sed si urbanus sit, benè faciendo respondet: qui verò exsuperans*

rans consequitur id, quod cupit, non ex postulat cum Amico; nam
uterq; bonum appetit: neq; in iis admodum, quæ propter volupta-
tem: simul enim utrisq; id sit, quod cupiunt, si convictu mutuo ob-
lectantur. Ridiculus fuerit, qui cum non oblectante ex postula-
ret, cum liceat simul non degere. At quæ est ob utilitatem, expo-
stulationum plena est: nam cum ob emolumentum mutuâ consue-
tudine utantur, pluris semper indigent, minusq; se habere existi-
mant, quàm conveniat, accusantq; quòd non, quot rebus indigent,
eotidem consequantur, cum digni sint. De tribus istis Amici-
tiæ speciebus vulgò dici solet: Amicitia studiosorum est de
honesto: *Aulicorum* de jucundo: *Mercatorum* de utili. Di-
viditur porrò Amicitia in æqualem & inæqualem, ut &
in internam & externam. Sed de his, ut & aliis plura in
quæst. seqq.

Quæstio V.

An Amicitia agnoscat causas internas?

Amicitia causa est vel interna, ut *Materia & Forma*:
vel Externa, ut *Finis & Efficiens*. *Forma* est, quæ benevo-
lentiam generaliter conceptam, specialiter determinat,
& consequenter Amicitiam formaliter constituit. Ami-
citia *Materia*, quia est vel in quâ, seu *subjectum*, vel *circa*
quam, seu *objectum*, de utraq; seorsim dispiciendum. *Ma-*
teria in qua Amicitia est ejus *subjectum* recipiens, quale hic
non sunt (1) *Bestia*, quia hæ non sunt capaces virtutum,
adeoq; nec Amicitia, quæ est virtutum effectus & usus.
(2) *Angeli*, qui non sunt considerationis Ethicæ, unde nec
Amicitia Ethicæ *subjectum* propriè dici possunt. Sed
(3) *Homines utriusq; sexûs*, in quibus, aut inter quos Ami-
citia vera datur, possuntq; spectari vel secundum *quanti-*
tatem, vel secundum *qualitatem*. Ratione *quantitatis dis-*
cretæ Amicitia *subjectum* sunt *Homines, non omnes*, quia
amor, qui ubiq; est, nullibi est. Et qui omnes vult ama-
re, neminem amat amore Amicitia debito. Juxta *Senec.*

Epist. 79. Omnes amicos habere est onerosum: satis est inimicos non habere. Omnes quidem sunt diligendi, sed non statim eodem modo & gradu amoris. Deus ipse diversos amoris gradus constituit. Juxta Dei præceptum plus diligenda est *Uxor*, quàm *Parentes Gen. II, 24. Matth. XIX, 5. Epb. V, 28.* plus *liberi*, quàm *extranei, 1. Tim V, 8.* plus *fidei socii* quàm *infideles, Gal. VI, 10.* Ipse *Christus* *Johannem* magis dilexit, quàm reliquos *Job. XIII, 23. & XI, 20.* Vid. *Liebenth. Collegium Ethicum, Exercit. 15.* Homo igitur omnibus placere non potest, quia juxta illud tritum, *Ne Jupiter quidem omnibus placet.* Imò nemini tandem placet, qui omnibus placere studet. Nec ullius est verè amicus, qui omnium amicus esse vult. Hinc plerumque tales amici, aut potius assentatores & adulatores merito deseruntur & rejiciuntur. Nec nimis multi sunt eligendi, quia numerus amicorum æstimandus est ex commodo virtutum usu in conversatione & mutuâ officiorum communicatione. Amor in plures divisus debilior fit; fortior in paucos. Multi quidem multis esse possunt in conversatione civili benevoli, placidi & affabiles, non item amici, amore perfecto. *Aristoteli* amor in multos transiens comparatur melli, cui aqua est admixta. Ut enim mel in tali permixtione ac confusione suam edulcandi vim amittit: ita quoque amor in ista diffusionem suam deperdit potentiam, eminentiam & suavitatem. *Plutarchus* talem Amorem comparat anni in multos alveos & rivos diviso, qui ut in divisione istâ fluit tenuis & languidus: ita quoq; amor, licet sit summus, in multos nimis diffusus tandem enervatur & langvescit: cum quot homines, tot sententiæ, suusq; cuiq; mos sit, dicente *Terentio.* Vid. *Kekermann. Curs. Philos. Diss. 27. quest. 30. p. m. 206.* Præterea mutuam & promptissimam officiorum operam amicorum multitudine impediri, testis

stis est experientia. Sæpè tempora incidunt, in quibus
uni in adversis ex animo sit condolendum & collacry-
mandum, alteri de latissimis rerum eventibus cum gau-
dio gratulandum, quæ sanè affectuū contrarietas in uno
eodemq; subjecto simul locum habere nequit. Si ex mul-
tis, inquit *Plutarchus*, unus roget ad cœnam, alius ad iter, alius
ad funus, alius ut in foro sibi sit advocatus, alius ad nuptias, quis
par his omnibus eodem tempore esse possit? Quod mentis se-
creta concernit, ea uni revelare amico fideli tutum: mul-
tis eadem communicare periculosum est. Quod unus
amicè tacet, plures temerè effundunt. Quare meritò
Pythagoras monuit: *multis manum ne injicias.* So du einen
engen Rath (sunt verba *Agrie.* desumpta ex ejus *Proverb.*
German.) oder Bedrängniß hast / die du nicht allein tragen
kannst / so suche unter tausend einen / mit dem du dein heimlich
Leiden theilest: klage deine Noth in geheim einem guten Freunds
de / aber nicht weiter: was übers ander Hersz komt / bisz ans
dritte / das ist zu weit. Darumb spricht man: Es ist einem zu
eng / zweyen gerecht / und dreyen zu weit: Denn es bleibt nicht
verschwiegen / was über zwey Herszen in das dritte komt: Dar-
umb trau allein einem / oder keinem: Dann der außgewählten
Dinge sind wenig / so ist ein treuer Freund ein seltsamer Gast.
*Homines ergò pauci verum tantùm subjectum sunt. Ami-
citix veræ & exquisitæ. Quod in excellentiâ consistit,
id maximè ad paucitatem accedit, eamq; amat. Hanc ve-
ram amicitiam invenire, res omninò difficilis & rara est.
Difficilis est, quia nemo eandem exercet, nemo eadem
frui sine virtutis exercitio potest; at omnes propemo-
dum ad vitia propendemus: rari ad virtutem, hinc na-
turæ refractariæ & calcitrosæ capistrum injicere, laborio-
sa res est, ut ait *Itterus in Ethic. Præcept. l. 3. c. 16. Axiom. 2. p.
m. 228.* Rara est, cum tantùm in bonis inveniatur: at
quanta bonorum virorum raritas! quanta malorum u-
bertas!*

bertas ! quantus proventus. Unde Seneca lib. 6. de benef.
c. 38. Nescis, ait, quantum sit pretium Amicitiae, si non intelligis,
multum te ei daturum, cui dederis amicum, rem non domibus mo-
dò, sed seculis raram. Vulgare quidem amici nomen, sed
rara est fides, quod exemplo illustrat Phædrus, jucundissi-
mus fabulator, his Jambis:

Cum parvas ædes sibi fundasset Socrates,

E populo sic, nescio quis, ut fieri solet:

Quæso tam angustam, talis vir, ponis domum?

Utinam, inquit, veris hanc amicis impleam. Rari-
tatem amici veri ac fidelis conquestus & Cicer. in Lelio:
quando ait: Si quis diligere velit amicos, oportet, ut sint firmi,
veri & constantes: cujus generis est magna penuria. Item a-
nonymus quidam, citante Alstedio, hoc simili: ut pii Re-
ges omnes; ita fidi ac veri amici scribi omnes possunt in
uno annulo. Vix septem bonos reperiri posse his indi-
care versiculis voluit Juvenalis:

Rari quippe boni: vix sunt numero totidem, quot

Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili.

Apollinem inter multa hominum millia vix unum repe-
rire potuisse, conqueritur Poeta, ita canens:

Vir bonus & sapiens, qualem vix reperit unum

Millibus è multis hominum, consultus Apollo.

Ratione Qualitatis Subjectum veræ Amicitiae sunt homines
probi ac boni, aut virtute præditi, uti jam indicavimus. Veræ
Amicitia inter bonos tantum oritur, inter meliores pro-
ficit, inter optimos consummatur. Inter illos propriè
vera datur Amicitia, inter quos est virtutis similitudo aut
consensus morum in virtute, tanquam in fundamento
veræ Amicitiae. Ut autem bonitas ista mutua innotescat,
magnâ opus est curâ, industriâ, & prudentiâ. Vera nam-
que Amicitia non nisi inter satis probatos & exploratos
consistit. Quos amicos tibi facturus es, explora prius,
quibus

quibus sint moribus, & quomodo se cum alijs amicis gesserint, ne te postea contracta pœniteat Amicitia. Ut vas experiamur, aquam, non vinum infundimus: ita principio frivolum quiddam amico concedendum, tanquam sit res momenti maximi, quo de silentij fide periculum faciamus. Et ut diligentes agricolæ terram prius notulis deprehendunt quibusdam, & explorant, quam illi credant semen: ita explorandus amicus, antequam credas arcanum. Magnæ temeritatis ac levitatis argumentum esset, amicum tibi asciscere, quem non noveris, cujusq; mores ad rectæ rationis stateram non expenderis & trutinariis, unde rectè veteres monuerunt: *neminem Tibi amicum feceris, nisi cum quo modium salis absumpseris.* Sic *Isocrates ad Demonic.* Amicitiam, inquit, cum nemine jungito, priusquam exploraveris, quomodo prioribus amicis fuerit usus. *Sperabis enim, eum in te quoq; fore talem, qualem erga illos se præbuerit.* Sic *Lipsius Centur. III. ad Belgas, Epist. 8.* nemo fideliter diligit, nisi qui probat. *Deligere oportet, quem velis diligere.* Et prudentiæ plena sunt *Seneca verba, Epist. 3.* *Diu cogita, ait, an Tibi in Amicitiam aliquis recipiendus sit, cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte, tam audacter cum illo loquere, quam tecum. Tu omnia cum amico delibera, sed de ipso prius. Post Amicitiam credendum est, ante Amicitiam judicandum.* Haec eni ille. Propterea in Amicitiam nemo recipiendus est, nisi cujus mores ante sint explorati. Superest *Materia circa quam seu objectum*, (quod tribus attingemus verbis) illudq; est *amabile*, seu tale quid, quod ad sui amorem, propter bonitatem ei competentem, aliquem allicit. In omni enim Amicitia bonum aliquod respicitur alterius voluntatem movens, ejusq; amorem ac benevolentiam concilians & conservans.

Quæst. VI.

Quænam sunt Amicitia Causæ Externæ?

Hæc

Hæc Quæstio absolvitur *causâ finali & efficiente. Finem* Amicitiaë ponimus duplicem, *Ultimum & Intermedium. Ul-* *timus* est partim *Gloria Dei*, ejusq; illustratio ad quam omnes hominum actiones sunt dirigendæ: partim *felicitas civilis*, quia in societate civili maximè locum habet Amicitia, veluti usus & fructus virtutum moralium. Felix ergò opus habet amicis, ut habeat, quibus suam communicet felicitatem, & de quibus optimè mereatur. Ipsum etiam juvat, similium sui consuetudine amicâ virtutem magis magisq; excolere & exercere, imprimis cum Felicitas civilis in usu & actione virtutis sit posita, ad quam amicorum familiaritas vehementer accendit. Fructus virtutis tum demum verè capitur, cum in proximum confertur. Tum demum benè quis vivit, quando se vivere, hoc est, rectè agere sentit. Sentit autem id maximè in amico, qui est alter ipse, in quo, tanquam in speculo, felix virtutes suas meliùs, quàm in se ipso cognoscit. Felix ergo amico carens, seipso caret. *Intermedius* Amicitiaë *Finis* est *salus, utilitas, suavitas, aut recreatio partim animi, partim corporis ex tam intimâ & amicâ conversatione percepta.* In Amicitia verâ amicus sui amici bonum semper spectat, & illi, quod debetur, aut æquum est, tribuit. Nunquam ejus desideriis honestis deest, aut repugnat, nihilq; pro ipso recusat, sibi vel ipsi non pudendum. Non omnia simpliciter & temerè in amici gratiam sunt faciendâ, sed duntaxat honesta. Est enim Amicitia copulatio in virtute, non conspiratio in vitio. Ea virtutum, non vitiorum comes & adiutrix est. Magnum certè amorem Amico debet amicus, sed majorem virtuti, & maximum Deo. Nunquam in amici gratiam Deus est lædendus, & à bono ad malum deflectendum. Nunquam contra veritatem pro amico aliquid dicendum. Semper quidem amicis est gratificandum, sed usq; ad aras, h. e. quantum Pietas, Honestas,

nestas, Veritas permittit. Res est admodum tenera, Honestas (ut *Pericles* sapienter dixit) quæ vel minimum læsa, dolet, ingemiscit, & de injuriâ queritur, assumptâ in patrocinium conscientia, quæ omnium est tenerrima, ultricesq; furias concitat. Nec Honestas postponi potest, quin ipsa quoq; Pietas postponatur. Honestatem negligens naturæ legem contemnit, quæ sine impietate & contemptu supremi Legislatoris contemni nequit. Pulchrè idem confirmat *Cicero*, inquit: *Omni- bus rebus anteponenda est Amicitia, si per Honestatem & Veritatem licet. Si, quæ honesta non sunt, postulantur, religio & fides anteponenda est Amicitia.* Nec tandem ea, quæ amico noxia, sunt facienda. Exempli gratiâ, si quis amico febrili ardore æstuanti, & aquæ frigidaë haustum, contra Medici peritissimi præscriptum, efflagitanti, potum ejusmodi denegat, rectè sanè facit, quia licèt tali portione aliquantisper refocilletur amicus febrili æstuans, gravius tamen postea læditur. Nec jus Amicitiaë violat, qui amico iracundo ac furioso gladium non porrigit, quo se aliumve lædere posset. *Causa Efficiens Amicitiaë est vel Prima, qualis Deus, qui hominem fecit animal Politicum ad Amicitiam cum aliis colendam: quo sensu Amicitia rectè dicitur fieri Fato, i. e. Dei ductu & instinctu: vel secunda, eaq; vel Procreans, vel Conservans. Causa procreans iterum vel Primaria, sive per se, vel secundaria, sive per accidens. Amicitiaë causa Primaria constitui potest (1) Φιλαντία sive amor sui, non quidem purè naturalis, qui omnibus hominibus, etiam pueris naturaliter competit, sed acquisitus, non perversus & irrationalis, sed rectus & rationalis, quo vir bonus seipsum propter se, aut propter sui partem, animum nempe, maximè amat, & se potius animi bonis, quàm cæteris expolire studet. Vir bonus animum suum & esse & vivere benè semper exoptat, ideoq; cum bonis moribus exornat. Ipse sibi est*

C

bene-

benevolus, quia sapienter virtutem, bonum sibi convenientissimum, sibi appetit; Ipse sibi est concors, quia sine discordiâ & luctâ suarum facultatum in idem bonum honestum tendit & consentit. Ipse sibi convivere maximè cupit, secum libentissimè commoratur, nec se offendit unquam, unde nec pœnitentiæ est obnoxius, aut seipsum in pœnitendi necessitatem temerè inducit. Tali amore sui qui est præditus, is demum verè aptus est ad Amicitiam perfectam cum aliis sui similibus colendam. Hujus Φιλαντίας vis est, ut duos in unum quasi cogat, eademq; mente eos ita imbuat, ut non jam duæ sint animæ, sed una quasi in duobus corporibus. (2) *Similitudo & Æqualitas.* Nam Amicitia est consensio quædam. Omnis verò consensio consistit in similitudine & æqualitate aliqua, sicut dissensio in dissimilitudine & inæqualitate. Nec ullo vinculo colligari animos hominum, quàm similitudine & æqualitate, comprobant sequentia adagia: Amicitia parem facit: Similitudine conflatur Amicitia: Æqualitas est Mater amoris: Pares delectantur paribus: Senes gaudent Senibus: Docti Doctorum amant consortium. Si vis ulli fidere, fide pari. Ab hoc aut parùm aut certè nihil abludit illud *Ovidianum*, l.3. *Trist. Eleg. 4. v. 43.*

Vive sine invidiâ, mollesq; inglorius annos

Exige, Amicitias & tibi junge pares.

Et illud Germanorum: *Halt dich zu deines gleichen.* Perfecta igitur Amicitia inter personas nimium distantes esse nequit, quia ubi planè dispar est status, conditio & fortuna, ibi plena libertas & familiaritas (quam Amicitia perfecta requirit) locum habere nequit, nisi cum maximo periculo. Nam superior, si erga inferiorem eâutatur loquendi & conversandi familiaritate, quâ amicus solet, facilè sui contemptum suæq; autoritatis neglectum suspicatur. Sæpè superior salvâ autoritate suâ, ad quavis
Ami-

Amicitia officia, inferiori præstanda, se demittere nequit.
Quamobrem scitè & verè *Horatius l.1. Epist. 18. v. 86.* cecinit,
Dulcis in expertis cultura potentis amici,
Expertus metuit.

Utinam plerisque in medullis hæc hærent, & sequentes
contra Amicitiam nimis inæqualem rationes cum *Keckerm.*
sæpius jam citato considerarent: (1) quia Amicitia conflare
debet inter eos, qui ejusdem naturæ & conditionis sunt,
quique soli honestatis desiderio feruntur. Disparis enim
mores disparia studia sequuntur, & studiorum dissimili-
tudo dissociat Amicitias, (2) quia in Amicitiam dispari infi-
nita rixarum & suspicionum sparguntur semina, quibus
pestis Amicitia capitalior nulla existit. Et quod maximè,
qui potentes sunt, cum inferioribus hominibus plerumque
tantum imperfectam Amicitiam colunt, nempe utilem & ju-
cundam. Qui potentia cæteris præstant delectantur modo
Amicis jucundis & utilibus: neque enim quærunt jucundos
cum virtute, nec utiles cum honestate: sed quoad jucundi-
tatem quærunt eos, qui sunt faceti, quoad utilitatem verò
quærunt eos, qui sunt laboriosi & solertes ad efficienda
ea, quæ imperantur. Unde in proverbium abiit apud
Germanos: Wenn ein schlechter Mann eines grossen Herrn
Freund ist/so ist er entweder sein Narr/oder sein Esel. Conf.
Liebensb. Exercit. 15. quest. 3. & Itteri Synopsis. Ethic. l. 3. c. 16. Axiom.
4. Si autem accidat, ut vir dignitate maximè excedens,
cum inferioris longè conditionis homine Amicitiam co-
lere expetat, morosè quidem ea recusanda non est; semper
tamen cautè ac prudenter colenda, etque non aliter, quàm
singularis benevolentia & clementia, ubique reverenter
æstimanda est & reputanda. Huc spectat monitum *Epi-*
cteti: Hominem, ait, quo cum conversaris, tribus modis considera,
nempe ut præstantiorem, ut inferiorem, ut parem. Præstantiori
auscultare & obtemperare convenit: minori modestè persuadere,

æquali consentire. Idem velle & idem nolle, ea demum firma & perfecta est Amicitia, ait Catilina apud Sallustium in bello Catilin. c. 20. & inde Sidon. Apollin. l. 4. Epist. 3. (3) *Conversatio ac consuetudo mutua*, quâ alter alterius mores, mentem, ingeniumq; explorat, & his probè perspectis, alter alterius amorem elicit, & Amicitiam gignit. (4) *Amor mutuus*, quô alter alterum intensè amans Amicitiam excitat. In Amicitia enim requiritur *ἑγὼς καὶ ἀντιἑγὼς*, lieb und wieder lieb. Nihil æquius est, quàm in eum, à quo amamur, vicissim benevolentia ferri. Nihil promptius & humanæ propensionis magis est conforme, quàm sui amantem, ut bonum, redamare. Ut ametur aliquis, amec ipse amatuos, necesse est. *Quæris quomodo Amicum citò facturus sis?* Heceton apud Senec. Epist. 9. ait: *Ego Tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herbâ, sine ullius veneficæ carmine*, Si vis amari, ama. Confirmat hoc Martial. l. 6. Epigram.

Ut præstem Pyladen, aliquis mihi præstet Oresten,

Hoc non fit verbis, Marce: ut ameris, ama. Ecce tibi magnetem amoris, amorem! *Satis est mihi* (ita de se loquitur Symmach. l. 3. Ep. 2.) *ad Amicitia fiduciam, quod me credo redamari.* Jucundissimum est in rebus humanis amari, sed non minus amare: quorum utroq; ita frueris, ut cum ardentissimè diligas, adhuc tamen ardentius diligaris; hæc Panegyrista Plinius ad Trajanum locutus est. Fusius ista deducit Vernul. Instit. Moral. l. 2. tit. 1. c. 2. ita differens: *Ejus, quem amat, faciem imaginemq; quandam suo in animo amans insculpsit, & illius animus quoddam quasi speculum existit, in quo, dum ejus, qui amatur, species relucet, & is se in amantis animo intuetur, amare illum sanè compellitur.* Nonne etiam maximum, quod conferre amans potest, beneficium est amor? Qui amat, ei, quem amat, voluntatem suam tradit, quæ cum in homine sit regina, facultates hominis omnes secum trahit. Quod cum fit, nihil in amante superest, quod

quod in eo non sit, qui amatur. Consideratâ hæcenus
 prolixè Causâ primariâ brevibus perpendenda restat *Cau-
 sa secundaria* Amicitia, quæ dici potest partim *Voluptas* & *ob-
 lectatio mutua*, animis hominum (juvenum præsertim)
 desiderium familiaritatis & conversationis amicæ instil-
 lans: partim *Utilitas*, quia pleriq; illos potissimum amant,
 ex quibus se fructum aliquem capturos esse sperant: & sic
 quoq; bonorum vel *Indigentia* (quâ ad usus nostros ami-
 cis indigemus, & per eos id conficere speramus, quod per
 nos ipsos præstare non possumus) vel *Affluentia* (quâ mul-
 ti Amici ad odorem fortunæ fumigantem, instar musca-
 rum ad culinæ nidorem advolant) Causa Amicitia, sed
occasionalis tantùm dici potest, secundum illud Veterum:
Copia est pater: inopia mater: de quo pluribus vid. *Piccol.
 grad. 7. c. 5.* partim *Sortis, in primis adverse, communitio*, quia illi,
 qui simul naufragium fecêre, aliaq; pericula & damna
 sustinuêre, facillè se mutuò amant: partim deniq; *Imitatio
 & Commendatio alterius*, quia facillè homo ad eum aman-
 dum adducitur, quem imitatione sibi conjunctum videt.
 Hinc meritò Imitatio & Commendatio, amoris vocantur
 conciliatrices aptissimæ. Causa tandem *Conservans* Ami-
 citia dici potest partim *Conversatio crebra*, partim *benefi-
 centia mutua*, partim *infirmi-
 tatis dissimulatio prudens* & *condo-
 natio prompta*, &c.

Quæstio VII.

Amicitia Adjuncta & Effecta quænam?

Hæcenus Amicitia vidimus Causas tùm internas, tùm
 externas: sequuntur ejusdem *Adjuncta & Effecta*. *Adjun-
 cta* Amicitia dici possunt partim eius *Attributa*, partim e-
 jus *Officia*. *Attributa* sunt (1) *Necessitas*, quia tanta est no-
 stra in hæc vitâ indigentia, ut Amicitia carere nequeamus.
 Vid. *Keckerm. Cours. Philos. Diss. 27. qv. 31.* (2) *Utilitas*, quia Ami-
 citia in omni vitæ statu, fortunâ & ætate valdè utilis est.

Omni enim ætati utilis & conveniens est Amicitia, & quidem (a) juvenili, ut juvenes ab amicis senioribus, tanquã vitæ ducibus, facienda & fugienda discant. (b) Virili, ut homines in ætate istâ constituti præclaras virtutis actiones eò rectiùs obire, aliosq; ad idem agendum animare possint. (c) Senili, ut senes amicorum auxilio ea expediant, quæ ipsi ob corporis infirmitatem efficere nequeunt. Hinc Amicus optima vitæ possessio rectè dicitur. (3) Jucunditas, quia Amicitia sincerâ nihil est jucundius ac suavius. Nulla voluptas major est illâ, quæ in Conversatione amicâ ex virtutis actione percipitur. *Conspectus etiam* (inquit Senec. Epist. 35.) *et presentia et conversatio, aliquid habet vivæ voluptatis.* (4) *Stabilitas et Firmitas*, quia ubi nexus veræ Amicitia semel in Virtutis exercitio inter bonos coaluit, non facilè vera Amicitia dissolvitur, cum virtute, re maximè firmâ & stabili, nitatur. Inimicitiam in aqua scribere oportet, ut quamprimum obliteretur: Amicitiam autem in æs incidere, ut perpetuò firma & immota conservetur. Ex his facilè patescit, quare Amicitia inter pocula nata, plerumq; sit vitrea & fragilis? quia scilicet non propter virtutem, sed propter voluptatem maximè ista Amicitia à plerisq; instituitur, ut voluptate cessante cesset ista quoq; Amicitia cerevisiaria aut vinaria. Quam Amicitiam innuit Ovid. l. 1. Trist. Eleg. 8. his verbis:

Donec eris felix, multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Observe hinc tamen, quod inter tales personas (experientia teste) quarum virtus, benevolentia, beneficentia & fides jam ante satis nota, explorata & comprobata est, in conviviis quoq; sed honestis, non rarò Amicitia satis firma fuerit contracta, & constanter per totam vitam servata. (5) deniq; *Dignitas*, quia Amicitia vera virtutem, veræ dignitatis Genertricem, inclusam tenet. *Officia Amici-*

amicitiæ sunt (1) *Amare sincerè, fideliter, intensè ac constanter.*
Sincerè amicus amandus est, & cordicitus, non hypocri-
ticè & oretenus. *Fideliter* amandus, quia Fidelitas est A-
micitiæ veræ alimentum, sine quo consistere nequit. *In-*
tensè est amandus, eo nimirum amore, quo vir bonus se-
ipsum impensè amat, secundum illud: Ordinatus amor
incipit à seipso, & definit in proximo. Quantum vir bo-
nus se amat, tantum etiam amare amicum tenetur. *Con-*
stanter amandus est, ne Amicitia quovis statim vento dis-
sipetur, aut levi de causâ dissolvatur. Imò Amicus, qui
facilè amittitur, nunquam fuit verus. De quo ita *Scaliger:*
Si perdis amicum citò, per levemq; causam, nil perdis, neq; tuum
fuisse dicam. Imitari debent amici non hirundines, sed
passeres, nobiscum & hyeme & æstate commorantes, se-
cundum proverbium: *Man halte es mit den Spazzen / die*
Schwalben fliehen ab. (2) *Benefacere,* seu per benefici-
am erga amicum, benevolum animi affectum reipsâ de-
clarare. Ideò vera Amicitia comparatur, ut commune
commodum mutuis officiis promoveatur. Amicitiam
de mutuis constare officiis dicit *Symmach. l. 4. Ep. 39.* Equi-
dem non omnia beneficia in Amicitia, præsertim inæ-
quali, compensari possunt re: benè tamen affectu & con-
fessione. Sola agnitio beneficii interdum amici benefi-
ci affectum amicum continuare & conservare potest. (3)
Liberè monere amicum, & si in aliquo peccet, etiam corrigere &
melius instruere. Secundum *Cicer. de Amicit. c. 25.* monere &
moneri proprium est veræ Amicitia, & alterum liberè
facere, non asperè; alterum patienter accipere, non re-
pugnanter. Amici vitia si feras, facis tua. Sunt autem
vitia Amici non exagitanda, aut divulganda, sed regenda,
& quantum honestè fieri potest, dissimulanda. Amici
mores noveris, non oderis. Corrigendus, si est amicus,
blandissimè. Adhortatio ejus careat acerbitate: objur-
gatio

gatio contumeliâ : Correctio sit privata, laudatio sit publica. *Castiga Amicum clanculum, lauda palam, ait Publ. Syrus.* Verus Amicus amico facilè navos condonat, nihilq; habet prius, quàm ut Amicitia, ubi læsa est, restituatur. Properandum ad *Effecta* Amicitia, quæ ipsos amicos concernunt. Amicorum prosperum vitæ statum, Amicitia reddit svaviorem ac splendidiorē: adversum tolerabiliorē. Est amicus animo ægro Medicus, utpote quem ad tristia patienter ferenda prudenter disponit. Ipse, quia maximè novit amici ægroti aut tristici indolem ac mores, & quibus ipse potissimùm recreetur, aptissimus omninò est ad solacium, consilium & auxilium in adversis ferendum. Tandem meliores se invicem reddunt amici per Amicitiam, propter æmulationem in virtute exercendâ. Eadem Amicitia potest totas familias & Resp. svaviter in optimâ Harmoniâ & statu florente conservare. Vulgò ad Amicitia Effectum etiam refertur dispendium temporis. Proinde disquiritur inter eruditos: *An Amici sint fures temporum?* Resp. *Sinceri & infucati Amici* tales non sunt, qui potiùs scœnore temporis, quo cum illis vivitur, jacturam compensant, cum ferè nunquam ab iis abeamus, nisi doctiores & meliores. *Comici verò & ollares illi amici,* qui culinam sectantur, & quadras opiparas, aut bonarum horarum fritillo, chartis lusoriis, aut vanitatibus aliis fallendarum perdendarumq; gratiâ, nos conveniunt, fures temporis haud injuriâ dicuntur. Vid. *Avenar. in Pbilos. Pract.*

Quæstio VIII.

Quænam sunt Amicitia Cognata & Opposita?

Cognata dici possunt partim *Amicitia spiritualis* inter Deum & Homines; inter Christum & ejus Ecclesiam, inter

ter

terangelos sanctos & homines pios: partim *Caritas proximi*: partim *Humanitas* in Conversatione civili: partim *Societas Conjugalis* inter maritum & uxorem: partim *Consanguinitas* & *Affinitas*: partim *Consensus naturalis* inter substantias Sympatheticas v. g. magnetem & ferrum, Leonem & simiam &c. quorum mentio facta in Quæst. 2. *Opposita* Amicitiae sunt vel *Privativa*, vel *Contraria*. Illa sunt, quæ Amicitiam rectitudine suâ privant, eamq; ad extrema, nempe excessum vel defectum deflectere faciunt. Extremum Amicitiae *Excessivum* est *ἄπειρα φιλία* s. Amicitia nimia, qua quis nimis amicum suum amore planè cæco, perverso & infano amplectitur, ita ut in ejus gratiam nihil etiam vitii committere vereatur. Extremum *Defectivum* est *ἀφιλία* s. Amicitiae fuga. Ad Amicitiae excessum procliviores sunt juvenes: ad defectum Senes. *Hac* dici possunt omnia ea, quæ partim *directè*, partim *indirectè* Amicitiam veram vel contrahendam impediunt, vel contractam dissolvunt. *Directè* ea Amicitiae contrariantur, quæ immediatè & per se ejus naturam evertunt, ut sunt *Disparitas animorum, morum, amoris, candoris, virtutem, veræ Amicitiae fundamentum, destruens, & conversationem amicam corrumpens*. *Indirectè* denique sive obliquè Amicitiam impediunt, partim *Defectus animi & corporis*, ut sunt *Insania, Monstrositas, Cæcitas &c.* partim *Accidentia quædam externa*, ut sunt dignitatis variatio, loci distantia, diuturna absentia, silentium diuturnum, de quo *Isoocrates*: Multas Amicitias silentium diremit, sed indirectè & per accidens saltem. Atque hæc de Amicitia his quæstionibus propositâ dixisse sufficiat. Manum ergò de tabulâ. Rogamus autem submissè omnes ac singulos candidos lectores, ut si quæ minus aptè ac

D con-

concinne posita, iis propter ætatis imbecillitatem i-
gnoscere, ac ætate crescente, ingeniiq; viribus
adauctis aliquantò meliora expectare
velint.

Gloria sit Patri, Nato sit Gloria, Sancto
Gloria Spiritui: Gloria sit Triadi.
Tantum.

Ad

Præstantissimum, Doctissimumq;

DN. M. RESPONDENTEM,

Disputationis Auctorem:

DUm post adeptum summum in Philosophiâ
gradum denuò prodire in certamen, au-
ctamq;ve interim eruditionem Patronis Tuis &
Commilitonibus probare publicè gestis, pluri-
mum equidem abes ab illorum ignavâ operâ, qui,
ubi aliqua in studiis fecere spatia, protenus re-
mittunt animum, ac respicientes pauxillum, quod
didicerunt, non prospiciunt infinita, quæ addiscen-
da menti generosæ restant; sic sibi metipsis obstru-
entes viam, quæ ad arcana sapientiæ ducit. Quæ
literatorum ordinis propudia uti ulciscuntur
mores sui, sic è contrario Tibi in diversa tendenti
opimam laudis segetem promittit gloriosum pro-
positum, quod tenes gnaviter, nec prius deserere
in animo habes, quàm lana mens Te deserat. Laudo
cona-

conatus, venerandoqve Parenti Tuo plurimum
gratulor de hâc sementis suæ non sterili messe, po-
scens divinum Numen, ut servet Tibi hanc men-
tem, easq; Tibi propitium elargiatur dotes, unde
in Ecclesiam olim plurimum emolumentum, in Pa-
rentem verò optimè meritum gaudium nullis tur-
batur molestiis redundabit. Vale, ac rem Tu-
am porrò strenuè perage. Dab. ad d. XXII. Januarii,
A. E. C. cl. lxxvi.

T.

ex animo

PRÆSES.

A Artes latentes, quid Tibi vel mihi
Profunt? quiescens quid lyra me juvat?

Est vana res, svavis Amice,

Qui teneris mihi junctus annis:

Sic ritè monstras, quid valeas, benè,
Insana quamvis æquora sæviant,

Et torqveant spumam procellæ,

Et patriam quatiat tumultus.

Applaudo: pergas, præmia te manent,

Nec non sonabit gens hominum tuas

Laudes, donec clarus per orbem

Sol rutilos agitabit axes.

Hac

*Clarissimo Dn. Autori, Amico & Con-
terraneo suo conjunctissimo*

L. M. Q. P.

**M. Johannes Fridericus Etelius,
Posonio-Hung.**

Con-

Conscendis Cathedram, quid sit sincerus A-
micus?

Ardenter tractas, quod probat iste labor.

Zopyrus exemplo est, DARII fidus amicus,

Qui faciem lædit, cum Babylon peteret:

Hoc solum fecit, Persis ut proderet urbem;

Talem vix hodiè maximus Orbis habet,

Gratulor, omnipotens Numen benedicat ab alto

Omne tuum studium, sic precor ex animo.

Hisce paucis Clariss. atq. Politiss. Dn. Autori,

Civi ac Contubernali suo estimatissimo,

ut & Amico suavissimo, Fratris instar co-

lendo, congratulatur

Andreas Reichard, Posonio-Hung.

LL. Stud.



90 A 6406

ULB Halle 3
002 916 622




56

Retro V

VDMA







B.I.G.

Farbkarte #13

D. B. V.

CITIA,

HIA MORALI

scripta,

&

d Albim Academia,

RÆSIDIO

VIRI

NTISSIMI, CLARISSIMI QVE

ANI Röhrensees/

OF. PUBL. celeberrimi,

omotoris æternum

nerandi,

ditorum examini

bjecta

ab

RESPONDENTE

EA TITIO,

- Hungaro,

itorio Majori,

Anno clc lcc LXXVI.

s matutinis.

35

EBERGÆ,

ANUS SCHRÖDTERUS.

